



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De
Malis Ac Bonis Libris, Deque Ivsta Avt Inivsta, eorumdem
confixione**

Raynaud, Théophile

Lvgdvni, 1653

Illustrissimo ac Reuerendissimo Viro, Domino Didaco De Arce Reynoso,
Episcopo Placentino, Philippi IV. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11141



Illustrissimo ac Reuerendissimo Viro,

DOMINO DIDACO
DE ARCE-REYNOSO.

EPISCOPO PLACENTINO, PHILIPPI IV.

Regis Catholici à Consiliis, & in omnibus eius

Regnis ac Dominiis Supremo

Fidei Censori,

Felicitatem Perpetuam P.

Illustrissime ac Reuerendissime Domine,

QUOD M noui huiusce libri publicam in lucem
productio, nostræ fidei commissa, dignum
aliquem Patronum optare videretur, cu-
ius eximiâ auctoritate apud bonos quidem com-
mendatior, aduersus improbos verò munitior esse
posset: Nemo omnium occurrit, cui vel iustiùs,
vel etiam alacriùs istud muneris destinaremus,
quàm Illustrissimæ Tuæ Amplitudini: idque grauif-
simis omninò de causis. Cùm enim hîc agatur de
materia ad Officium Sanctæ Inquisitionis peculiari-
ter pertinente, cuius summam potestatem, quâ por-
riguntur cunque Hispanici Imperij fines, penes Il-
lustrissimam



lustrissimam

lustrissimam Tuam personam, sitam esse nouimus, non erat quòd ampliùs de quoquam alio opportuniore genio tutelari conciliando satageremus. Cæterùm non solis suspiciendæ illius, quâ polles, dignationis radiis nostra desideria incensa fuere: sed etiam exquisitis illis virtutibus ac meritis, quibus istam quam semel nactus es sacratissimam Spartam perpetuò exornas, & quorum documenta infinita quotidie exhibes: incredibilem dico tuæ vitæ integritatem, prudentiam singularem, consummatam peritiam longo rerum vsu comparatam, iudicium solidissimum, omnifariam denique doctrinam. Quo fit vt omnium optimè de libri, Illustrissimo tuo Nomini nuncupati, pretio iudicaturus sis, nòsque illud Poëtæ non incommodè hoc in negotio simus vsurpaturi:

Pagina iudicium docti subitura mouetur

Præsulis, vt Clario missa legenda Deo!

Neque verò dubitamus, quin si tuo calculo probeatur hic liber, applausum etiam catholicum illicò consequatur: imò etiam quin ipsius auctor, Vir admodum Reuerendus, quicquid hætenùs summi fuerit ab vniuerso literatorum choro æstimatus, maior inde quodammodo ac gloriosior esse incipiat: vt vel eo nomine confidamus habiturum ipsum quo de sibi apprimè gratuletur, vbi scilicet suum Tibi non displicuisse animi foetum intellexerit. Habituri itidem sumus & nos, si modò quam cepimus
fiduciam,

fiduciam, hunc ipsum offerendi Illustrissimæ Tuæ
Amplitudini boni consulueris, nōsque in tuam non
modò notitiam, sed & clientelam fauēter admitte-
re non asperneris. Quam quidem rem, instar præ-
clari cuiusdam thesauri, medullitùs iam pridem af-
fectâsse nos, libentissimè fatemur. Vale immortale
tuarum Hispaniarum decus. Lugduni Gallor. Kl.
Ianuar. Anni 1653.

Tuæ Illustrissimæ Amplitudinis

Deuotissimi Cultores,

IOAN. ANTON. HUGVETAN,
& MARC. ANTON. RAYAVD.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and appears to be in a historical or scholarly style.